

Introductio.

*Auctorum, quos in conscribendis commentariis duces secuti sumus,
recensio.*

§. I.

Rerum ab *Arabibus* in *Italiâ insulisque adjacentibus* gestarum commentarios conscripturi, non alienum a proposito nostro existimamus, auctorum, quos duces maxime secuti sumus, succinctam praemittere recensionem. Hoc namque facto pronius erit lectori dijudicare, quâ fide quaeque narrentur, quid indubitata, quidve minus certâ nitatur auctoritate. Qui Graecorum vel Romanorum res gestas memoriae produnt, in citandis tantummodo auctorum, quos sequuntur, nominibus acquiescere possunt; siquidem *Herodotus*, *Thucydides*, *Sallustius*, *Livius*, ceterique Graecae atque Romanae historiae auctores, omnibus cogniti, omniumque manibus teruntur. At secus res se habet, si *medii*, quod dicunt, *aevi* historiam componere sumas, cujus auctores non eam, quam Graeci veteres atque Romani, nominis celebritatem consecuti sunt; neque in manibus versantur, nisi eorum, qui singulari aliquo studio ad incultorum illorum temporum hominumque res gestas cognoscendas feruntur. Quare nequaquam operam nos perdituros existimamus, si non, quod multi solent, nuda tantummodo auctorum nomina referamus, verum et ea, quae ad dijudicandum eorum ingenium fidemque pertinere videntur, breviter exponamus.

§. II.

Auctorum, qui *Arabum* res, in *Italiâ insulisque adjacentibus* gestas, memoriae prodidère, *triplex genus*: sunt enim vel *populares*, *Arabes*, vel

Graeci, Byzantini, vel denique *Latini*. Auctores Arabici, unum alterumve si excepias, rarius de popularium suorum rebus in *Italiâ* gestis mentionem injiciunt; cujus rei causam eam existimaverim, quod rerum, in longinquis illis terris ab Arabibus gestarum fama vel parcius ad scriptores domesticos pervenerit, vel ipsae etiam non tanti viderentur res, ut ad posterorum memoriam conservarentur. Haud quidem dissimulandum, maximam historicorum Arabicorum partem in bibliothecarum seriniis adhuc delitescere, neque igitur idem de omnibus tuto statui posse; verum si ex illis, quos cognitos habemus, *Arabum* historicis fas est conjicere, reliquos quoque, quos adire non licuit, vix uberiorem messem exhibituros censuerim. Quod de *Arabum* pronuntiavimus scriptoribus, parcius nempe illos rerum, a popularibus suis in *Italiâ insulisque adjacentibus* gestarum, injicere mentionem, idem et de historiae *Byzantinae* statuendum auctoribus. Quorum etsi magna pars in lucem protracta sit, paucissimos tamen invenies, qui res ab *Arabibus* in *Italiâ* gestas attingant. Probabile videtur, graviora, quae imperio Byzantino, ejusque capiti, Byzantio, ab iisdem *Arabibus* imminabant pericula, scriptorum animos ab iis, quae in remotioribus imperii gerebantur provinciis, avocasse. Multo frequentius, quam *Arabes* atque *Byzantini*, *Latini* scriptores *Arabum* in *Italiam* incursiones commemorant. Qui res in *Italiâ* a seculo uono ad decimum quartum usque gestas memoriae prodidère auctores *Latini*, tantum non omnes et infensissimi illius *Chriticolarum hostis* facinora (auctorum illorum more loquimur) deplorant atque detestantur. Neque mirandum, *Latinos* diligentius, quam *Arabes Byzantinosque*, in iis, quae in *Italiâ* ab *Arabibus* gesta fuère, notandis versatos fuisse. Namque in patriâ terrâ, et quasi in conspectu ipsorum ea gerebantur, in conspectu ipsorum templa, coenobia aliaque saeraria ab *Arabibus* diripiebantur; quam jacturam homines illi nonnisi aegerrime patiebantur, quippe qui maximam partem ipsi coenobiorum erant alumni.

§. III.

Quodsi ad ingenium auctorum illorum animum advertas, facile deprehendes, omnes, quamvis genere, linguâ, cultu moribusque diversissimi

fuerint, communem quandam in scribendo habitum, communia vita prae se ferre. Si historiam contexere non is dicitur, qui, non nisi quidquid quovis anno gestum sit, commemorat; verum is, qui, quibus causis, quibusve auxiliis quaeque gesta fuerint, quos denique eventus res gestae habuerint, exponit: profecto auctores illi, de quibus agimus, vix historicorum nomine digni videntur. Tantum enim adest, ut in causas rerum gestarum eventusque inquirant, ut saepius, ubi naturales rerum causae in aperto positae sunt, miraculis narrandis delectentur; id quod *Latinis* scriptoribus prae ceteris solitum. Adde, quod tam *Araabes*, quam *Graeci* et *Latini* in tempore, quo quaeque gesta fuere, notando raro eam adhibeant diligentiam, quam merito a rerum gestarum scriptoribus repetere possis; unde saepius evenit, ut eadem res a diversis scriptoribus diversis etiam temporibus contigisse memorentur. Quod denique minime decet historicos, ut partium studio abripiantur, id tantum non semper in auctoribus nostris offendens. Namque quod a primordio religionis Islamiticae inter *Christi* et *Mohammedis* sectatores flagravat odium, ab utrorumque historicis quoque exerceatur; quo fit, ut, quotiescunque rerum inter *Christianos* et *Mohammedanos* gestarum mentionem faciunt, de veritate minus solliciti, id maxime agere videantur, ut suorum gloriam augeant, adversariorum vero minuant atque deprimant. Hinc sexcenties tam in *Arabum*, quam *Graecorum* et *Latinorum* commentariis relatum leges, exiguam admodum suorum manum maximas hostium copias profligasse, imo ad interuersionem delevisse.

§. IV.

Sed sufficiat, in uniuersum haec monuisse; transeundum ad singulorum, quos duces secuti sumus, auctorum recensionem. Inter *Arabum* historicos primo loco nobis ponendus

Ebn Alathir.

Abulhasan Ali Azzuddin ebn Alathir Aldschazari in Mesopotamiae oppido *Dschazirat ebn Omar*, anno Hedschrae 555, p. Chr. n. 1160, in lucem editus fuit. Transacta in loco natali aetate juvenili, urbem *Mosul*

eum parentibus petiit, ibique maximam vitae partem degit. Inde saepius *Bagdadum* adiit; quo in loco doctissimorum illius aetatis virorum scholis interfuit. Insequenti tempore Syriam peragravit, *Hierosolyma*que visitavit, ubique locorum virorum eruditione clarorum utens commercio. Ab itineribus suis redux totum se literarum studiis dedit; ante omnia autem cognoscendae rerum gestarum memoriae indefessam navavit operam. Ea re magnam nominis existimationem consecutus est; adeo quidem, ut domum ejus non solum cives sui frequentarent, verum etiam alienigenae, qui *Mosulum* adirent, familiaritatem ejus adfectarent. Provecâ jam aetate denuo Syriam petiit, *Haleb*ique per aliquod tempus commoratus est; ubi notissimus ille vitarum scriptor *Ebn Challekan* ejus consuetudine usus est. *Halebo* in patriam urbem reversus, biennio post diem supremum obiit, anno Hedschrae 630, p. Chr. 1233. — Inter *Ebn Alathiri* opera principem locum obtinet *Historia universalis*, *كامل التواريخ*, a mundo condito ad annum Hedschrae 628 deducta. Quae historia luculentissimis id genus accensetur operibus, et quam saepissime ab *Abulfedd* in annalibus suis exscripta fuit. Ex hoc opere plura, quae ad Siciliae historiam, dominantibus Arabibus, pertinent, depromsit *Noel des Vergers* in libro, qui inscribitur: *Histoire de l'Afrique sous la dynastie des Aghlabites, et de la Sicile sous la domination Musulmane, texte Arabe d'ebn Khaldoun, accompagné d'une traduction Française et de notes. Paris, 1841, 8.* — Praeter historiam universalem alia adhuc *Ebn Alathiro* debentur opera historica; in his: *Historia Atabekiorum*, qui *Syriae* atque *Mesopotamiae* praefuerunt; cujus operis summam exposuit *De Guignes* in *Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du Roi*, t. 1, p. 542—578. Adde *Historiam sociorum Mohammedis*, *كتاب اخبار الصحابة*, ejus *Ebn Challekan* mentionem injicit. Sunt, qui et *Historiam Chalifarum*, quae inscribitur *عبرة اولى الابصار*, *Ebn Alathiro* tribuant. Cui opinioni ansam dedit *Hadschi Chalifa*, qui ad vocem *تاريخ ابن الاثير* historiam illam ad *Ebn Alathirum* refert. At vero idem auctor ad voeem *عبرة اولى الابصار* tradit, historiam memoratam ab *Emad-uddino Ismaele Ahmedis filio, Halobensi*, cui stidem *Ebn Alathiri* eo-

gnomentum, conscriptam fuisse; quare perperam ad *Ebn Alathirum Dechazirenssem* refertur, quod *Ebn Alathiro Halebensi* debetur ¹⁾).

§. V.

Ebn Alathiro aetate quidem inferior, sed dignitate aequiparandus *Nowairi*.

Ahmed ben Abdulwahhab Albakri Altaimi Alkarschi, cognomento *Alnowairi*, vixit vergente aerae Christianae seculo decimo tertio, et ineunte decimo quarto, obiitque anno Hedschrae 732, p. Chr. n. 1331, 32. Scripsit historiam universalem, magnae molis opus, quod inscribitur: كتاب نهاية العرب في فنون الادب i. e. *Summus terminus studiorum in diversis generibus eruditionis*. Omnis *Nowairii* historia in V partes, فنون, dividitur, quarum quaevis itidem in V segmenta, اقسام, scinditur. In prioribus quatuor partibus historia naturalis tractatur; agitur enim parte primâ de coelo et terrâ, secundâ de homine, tertiâ de animalibus, quartâ de plantis. Pars quinta historiam civilem exponit; agitur illic prioribus tribus segmentis de veteris Testamenti viris memorabilibus, quarto de diversorum populorum regumque rebus gestis, quinto de Arabum fati factisque, nempe de *Mohammede*, de Chalifis legitimis, de principibus Omajjidis, Abbasidîs, de Omajjidis in Andalusia, denique de Africae rebus. Quod postremum segmentum maxime ad rem nostram facit; namque inter cetera etiam *Arabum in Siciliam incursiones*, resque in eâ insulâ gestas enarrat, *Nowairii* historiam multigena commendat eruditio; quare a *Golio Reiskioque*, duumvris literarum Arabicarum peritissimis, haud immerito literaturae Arabicae bibliotheca, sive encyclopaedia dicitur. In antiquiorum temporum exterorumque populorum historiâ tradendâ parum accuratus parumque fidus; ac-

1) Vies des hommes illustres de l' Islamisme par Ibn Kballikan, publiées par le Baron Mac Guckin de Slane, p. 482 — 483; Hadschi Chalifa ad vocem تاريخ ابن الاثير et عبرة اولى الابصار; D'Herbelot bibliothèque orientale, ad vocem Athir, nec non Reiskii ad eandem vocem additamenta, Germanicae Herbelotii editioni inserta.

curatior fideque dignior in recentiorum temporum populariumque suorum rebus exponendis. Siciliae historiam inde a primis Arabum in insulam illam incursionibus ad Normannorum usque adventum deducit; et licet persaepe justo brevius et defunctorie rem agat, tamen haud pauca depromit, quae apud alios auctores nequidquam requiras. *Nowairii* libellum de Arabum rebus in Sicilia publici juris fecit Arabice et Latine *Rosarius Gregorius* in libro, qui inscribitur: *Rerum Arabicarum, quae ad historiam Siculam spectant, ampla collectio. Panormi, 1790, fol.* Ejusdem libelli versionem Gallicam vulgavit *J. J. A. Caussin*; 'prodiit ea unâ cum libro: *Voyages en Sicile, dans la Grande Grèce et au Levant, par M. le Baron de Riedesel. Paris, A. X. (1802) 8. 2*).

§. VI.

Schehabuddin.

Nowairium excipiat *Schehabuddinus. Alkadhi Schehabuddin ben Abildam Athamawi, Hamdh*, Syriae urbe, oriundus, aetate *Nowairio* quidem superior, sed utilitate, si res ab Arabibus in Italiâ Siciliaeque gestas spectes, inferior. Vixisse eum seculo p. Chr. nat. XIII inde conjicias, quod chronica ejus in seculum decimum secundum usque excurrant, et jam ab *Abulfedd*, qui inde ab anno 1273 ad annum 1331 usque vixit, in annalibus suis saepius laudentur. Scripsit *annales rerum a Moslemis gestarum, التاريخ المظفرى*, VI voluminibus comprehensos, quibus et Siciliae res memorabiles, Arabibus in eâ insulâ dominantibus, perstringuntur. Horum annalium exemplum olim in bibliothecae Escorialensis thesauris adservabatur, ex quo *Marcus Dobelius Citero*, linguae Arabicae quondam professor, ea, quae ad Siciliae historiam pertinent, in usum *Antonii de Amico*, Canonici

- 2) Plura de *Nowairio* habentur in *J. J. Reiskii* prodidagmatibus ad *Hadschi Chalifae* tabulas, quae adjecta sunt *Abulfedae* tabulis Syriae a *J. B. Koehlero* editis. Conf. etiam *Casirii* *Biblioth. Arab. Escur.* t. II, p. 27; nec non *Gregorii* in *Nowairii* *historiam Siculam* praefat. p. III — VII.

Panormitani, excerptis, inque linguam Latinam convertit. Postea illud *Schehabuddini* exemplum intercisisse videtur; namque, qui diligentissime bibliothecae Escorialensis codices Arabicos recensuit, *Casirius*, nullam exempli illius iniecit mentionem. Credibile est, fatali illo incendio, quod a. MDCLXXI magnam eodiem Escorialensium partem absumsit, *Schehabuddinum* quoque in cineres conversum fuisse. *Dobetti* ex *Schehabuddino* excerpta Latine vulgavit *Carusius* in *Bibliothecæ historici regni Siciliae*, tom I, p. 19—23; emendatiora postmodum exhibuit *Gregorius* in collectione jam laudatâ, p. 59—63. 3).

§. VII.

Abulfeda.

Quæ *Schehabuddinus* de Italiae Siciliaeque rebus tradit, ea *Abulfeda* maximam partem, additis aliis, in annales suos transtulit. *Ismaël ben Ali ben Mahmud Abulfeda*, clarâ *Ajjubidarum* Prosapiâ oriundus, natus fuit *Damasci*, anno Hedsehrae 672, p. Chr. 1273. Literarum studiis pariter atque belli artibus jam inde a teneris imbutus, eximiam in utroque genere consecutus est laudem. Egrege de Aegypti Sultano *Almaleco Alnasero* meritis, provinciae Hlmatensis in Syriâ primo praefectus, deinde rex, ملك, denique Sultanus creatus fuit. Obiit anno Hedsehrae 732, p. Chr. 1331, vel, ut alii contendunt, a. H. 733, p. Chr. 1332. Inter plura, quae *Abulfeda* excellentis ingenii reliquit monumenta, duo praepremis nobis memoranda, *geographicum* alterum, alterum *historicum*. Geographicum *Abulfedae* opus inseribitur تقويم البلدان, i. e. *correctio*, sive *correcta descriptio terrarum*. In illo opere agitur primo in universum de climatibus, de mari, fluviis montibusque, sequitur deinde singularum terrarum descriptio, quae etsi haud eam prae se ferat accuratorem, quam nostrâ aetate exigere solemus, tamen quam plurimas res scitu dignissimas exhibet. Historici

3) Vide *Abulfedae* in *Annales* suos prooemium, in praefatione, quam auctoris hujus editioni praemisit *Adlerus*, p. X; nec non *Carusii* et *Gregorii* in *Schehabuddinij* excerpta praefationes.

operis inscriptio *المختصر في اخبار البشر*, i. e. *compendium historiae generis humani*. Absolvitur compendium hocce VI partibus, quarum priores V Judaeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum Arabumque ante *Mohammedem* historiam exponunt; pars sexta, et mole et dignitate reliquas superans, Arabum inde a *Mohammede* ad auctoris usque tempora res gestas enarrat. Quod jam de *Nowairio* pronuntiavimus, in antiquiorum nempe temporum exterorumque populorum historiâ parum accuratum parumque fide dignum, accuratiorem vero fideque digniorem esse in recentiorum temporum populariumque suorum rebus exponendis, id ipsum et de *Abulfedae* historiâ statuendum. In quam sententiam et *Reiskius*, cui certe *Abulfeda* familiarissimus, descendit, hunc in modum de auctoris nostri antiquiori externaque historiâ sentiens: „Initio chronici sui in rebus antiquis et a gente Arabicâ religioneque Mubammedanâ alienis versatur *Abulfeda*, sed tam perfunctorie, et velut trepidus, ut satis adpareat, cum et ipsum earum rerum perquam fuisse rudem, usumque fontibus inquinatis, et veritum fuisse, ne uberius exsequendis illis rebus gentilium cieret stomachum captumque superaret.“ Mitius deinde idem doctissimus vir, recentiorum temporum respiciens historiam, judicat in hunc modum: „Si quae habet minuta, quorum nosmet quidem ipsi gratiam libenter fecerimus, historias interdum jejunas etc., aestimandus non e nostris, sed e suis populariumque moribus ac studiis. Multa certe in eo reperiuntur, quae aliunde frustra petas; non ea tantum, quae in oriente interiore gesta nostrates latuerunt, sed illa quoque, quae ipsi nostrates, si satis sapuissent, praestare debebant, cumulatiora et luculentiora tradit. — Absque nostro qui sciremus, qualis fuisset octavo nonoque seculo et proximo Siciliae rerum facies.“ *) Edendis *Abulfedae* scriptis plures operam navarunt viri docti. Geographici operis partes singulas publici juris fecerunt *Gravius*, *Köhler*, *Michaelis*, *Eichhorn*, *Rink*,

4) Postrema haec verba quo pacto proferre potuerit *Reiskius*, non videmus. Namque *Nowairius*, quem *Reiskius* probe cognitum habebat, res Siciliae Arabum sub imperio diligentius quam *Abulfeda* uberiusque exponit. Vide *Adleri* praefationem in *Abulfedae* annales, p. VI.